SERVASANCTUS TUSCUS DE FAENZA

Italien (?), 3. Viertel 15. Jh.

Seite 178v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

nutritur. Et si una aliam errantem invenerit
eam ad se reducit et colligit. Item una equa
pullum alterius eque nutrit. Item quod magis est falco
avis prede quamvis deberet esse naturaliter cor cru-
delem filium quem aquila abiciat ex pietate recolli-
git et cum filiis in nido ponit et ut proprium eum nu-
trit. Item lupa fera crudelissima voracitati et ra-
pacitati assueta invenitur ad infantulos fuis-
se pia. Nam si puerum vagantem a matre derelictum
inveniat ipsum ut dicitur nutrit et lactat. Unde au-
gustinus secundum unam opinionem dicat quod Romulus et
Remus conditores urbis Romane quos mater
que virgo credebatur proiecit lupa nutrivit quam-
vis alii dicant quod fuit quedam meretrix sic vocata
a qua meretricum loca dicta sunt nunc lupanaria.
Item leo seuissima fera nescit homini quamvis irasci
maxime si ab eo lesus non fuit ymmo ad hominem
naturaliter pius existit quem si aspera fames non
coegerit prostratis hominibus parcit. Et si captivos
homines habuerit illesos abire permittit et eos per
desertum associans viam illis ostendit. Sed pro-
chdolor parcit homini leo. Sed non parcit homo ho-
mini. Plorat cocodrillus natura seuissimus postquam
hominem occiderit. Sed ridet homo natura mansue-
tus postquam suum proximum vulneravit vel ad mor-
tem adduxit. Elephas si hominem errantem in deser-
to invenerit primo ut eum terreat aliquantulum de via
se subtrahit et gressum figit paulatim ipsum prece-
dit et ei viam ostendit. Et si draco illis occurrerit
pro defensione hominis se draconi exponit et eum
pro posse defendit. Vide porcorum clemenciam ad alios
ubi dum unus clamat omnes sibi ad iuvandum accele-
rant. Quere supra exempla de caritate. Item
nota mirabilem pietatem quarundam avium ad
parentes. Est enim ciconiis nimia circa filios pietas
et similiter filiis ad parentes. Nam quanto expendunt ipsis